

tute propria, at creature illa a Deo haberet; etiam anima nostra intelligit, & Deus intelligit; Deus a se, anima nostra participativa, & dependenter a Deo, sicut suum esse a Deo participatum habet; Deus autem nequaquam, cum suum esse sit: hinc patet, quod etiam si talis creature daretur ut in conclusione supponatur dari posse, saluaretur gradus operandi, quia talis creature operaretur participatiū creando; Deus autem a se ipso, ad id quod dicit Diuus Athanasius, dico quod Sanctus impugnat Arrianos, & Arrianos, qui dicebant Verbum esse primam creaturam, at Athanasius Sanctus impugnabat, dicendo quod creatura est seruire, non imperare; talis autem creature a me supposita possibilis, non imperaret, sed imperio subesset, & totum, quod haberet, a Deo haberet, cum limitatione & linea particulari, tempore, & mensura, quod in Deo nec excogitari potest. hinc apparet, nullius roboris argumentum esse, & quod in sensu meo eius vis extinta sit.

Obijcies 5. si creature creare posset, certe & sine dubio deberet producere ens, vt ens est, quia nihil presupponeretur rei, quae produceretur; at si produceret ens, vt ens, produceret etiam seipsum, cum sub ente contineatur; ergo cum hoc secundum absurdum sit, & primum absurdissima res erit.

Respondeo argumentum esse iuxta vulgatum dictum, scilicet, qui nimis amplectitur, nihil amplectitur. si hoc quod in argumēto supponitur verum esset, sequeretur quod causa creās, quæcumque illa sit, etiam Deus, debeset creare ens, vt ens; & sic Deus, quia sic crearet, seipsum crearet, quod esset proprius non fidei Catholicæ, sed infidelitati Arrianæ; crearet namque illa creature ens tale ex nihilo sibi, & ex nihilo subiecti, tamen suum esse a Deo haberet, quod non reperitur in Deo, qui creat rem ex nihilo rei & subiecti eius rei creatæ, cum virtute, quæ est suæ esse; creature vero suum esse participatum haberet, sicut quævis alia creature; negatur ergo totum quod sequitur ex argumento.

Obijcies 6. nulla creature potest creare, vt causa instrumentalis, ergo nec vt causa principalis creare poterit. probatur antecedens, quia instrumentum ad hoc vt agat, debet disponere aliquid in subiecto eomodo, & non minus, ac calor disponit subiectum ad formam ignis, ut instrumentum ignis; at similiter agendo instrumentum iam non producit ex nihilo; ergo non erit causa creativa; & per consequēs si implicat causa instrumentalis